



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum Christus habuerit scientiam quam habent beati vel
comprebensesores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS VIII.

Virum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum?

RESPONDET posse dici caput omnium malorum quatenus omnes malitia superabit; non tamen posse dici caput tanquam omnes in peccatum petrahens. & quidem quod ratione iam dicta sit caput malorum hominum sentiunt communiter doctores. addunt aliqui posse dici caput omnium demonum excepto Lucifero, sed id est valde incertum, & non videtur ita probabile, cum non videatur reliquos demones malitia superaturus.

Aduerte diabolus esse caput ipsius Antichristi, quia non repugnat caput mysticum esse sub alio capite.

QUESTIO IX.

De scientia Christi.

ARTICVLVS I.

Virum Christus habuerit aliquam scientiam, præter diuinam?

OTANDVM S. Tho. nomen scientie à latius usurpare, vt patet ex corpore, scilicet pro qualibet cognitione intellectus humani. Respondet affirmatiue: quæ conclusio intellecta saltem de actu cognitionis est de fide. Prob. ex epist. Agathonis Papæ recitata in 6. Synodo generali actione 4. & approbata actione 8. vbi dicitur: Omnia duplicia vnius eiusdemque Domini saluatoris nostri Iesu Christi esse asserimus, id est duas eius naturas predicamus, diuinam scilicet & humanam. ex quibus & in quibus etiam post admirabilem & inseparabilem unionem subsistit, & vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia quæ diuina sunt, & humanam omnia quæ humana sunt absque peccato. Quibus verbis aperte definitur Christum secundum naturam humanam posse exercere actiones ei conuenientes, quales sunt cognitio & volitio, & proinde habuisse vim intelligendi & cognitionem creatam. Videri etiam potest canon 9. Concilij Lateranensis sub Martino I.

S. Tho. probat tribus rationibus. 1. quod aliquin anima Christi fuisset valde imperfecta, vt potest carens magna perfectione ad quam erat in potentia. 2. cum quilibet res sit propter suam operationem, non decuit animam Christi carere scientia creata. 3. anima naturaliter propendit ad cognitionem aliquorum scilicet primorum principiorum.

Adde quod si in Christo non detur notitia creata, non consistat vsus liberi arbitrij & meritum, cum enim regula immediata voluntatis creata sit cognitio, & voluntas non possit ferri in aliquid incognitum, si Christus caruerit notitia creata, dicendum etiam caruisse actu voluntatis creata, & per consequens merito.

Dices id non sequi, quia humana voluntas in Christo poterat dirigi scientia diuinâ.

Resp. negatiue, quia cum immediata regula appetitus sit notitia illi proportionata, non potest dici quod appetitus creatus possit moueri ad actum à notitia increata tanquam ab immediata regula.

Conf. 1. non potest vilo modo afferri quod scientia Dei increata alijs hominibus sufficiat vt ij possint exire in actum voluntatis; ergo neque id dici potest in Christo, cum vnio naturæ diuinæ cum humana in Christo non possit prestare vt diuina scientia aliquid in eo conferat ad humanam volitionem, quod non potest in alijs.

Conf. 2. vnio naturæ diuinæ cum humana non facit vt anima Christi informetur notitia increata, & vt illa notitia dicatur vitali modo procedere ab anima; ergo non potest facere vt anima per illam cognoscat, cum cognoscere sit vitaliter operari, & proinde in se exprimere vitalem imaginem obiecti.

Adde quod licet concederetur animam Christi posse cognoscere scientiâ increatâ, & posse ex illa dirigi ad actus voluntatis eliciendos, non posset tamen negari quin sit connaturalius illam esse præditam notitiâ creatâ, vt potest eius naturæ magis proportionata, & quæ ex nullo capite ostendi potest repugnare animæ Christi Verbo vnitæ. Negari etiam non posset non esse connaturale vt intelligat per scientiam increatam, & proinde dicendum animam Christi habere scientiam creatam, cum ex mysterio Incarnationis non necessariò sequatur illud miraculum, quod scilicet debeat cognoscere per scientiam increatam.

Quæri potest an Christus fuerit præditus scientia habituali? Resp. idem de eo dicendum quod de alijs hominibus dicitur.

ARTICVLVS II.

Virum Christus habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores?

AFFIRMAT: quæ sententia est communis Doctorum, potestque probari ex cap. 3. Ioannis: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Quod commodè explicatur secundum humanitatem, quasi dicat Christus, testor ea in quantum homo quæ vidi etiam in quantum talis, scilicet per claram Dei visionem. Ioannis 12. Vbi ego sum illic & minister meus erit. Quo loco etiam videtur agi de clara visione, quâ Deum videt etiam secundum animam, & quam suis ministris promittit tanquam præmium.

Idem potest ostendi ex Patribus qui censent Christum fuisse gratia præditum. nam gratiam comitantur virtutes & dona supernaturalia tanquam morales proprietates, inter quæ visio beatifica præcipuum locum obtingit, igitur Christus eâ præditus est. Conseq. prob. quia decuit eius animam habere virtutes & dona, quæ non erant ob futura redemptioni generis humani.

Conf. Christus fuit principium & causa gloriæ saltem hominum; ergo fuit consentaneum vt eadem gloria esset præditus, cum eius anima non minus sit capax tantæ perfectionis quam animæ aliorum hominum, & non sit peculiaris ratio ob quam illi negari debeat.

Porro hæc ostendunt eum clare vidisse Deum etiam dum in terris versaretur. quod confirmatur etiam ex eo quod in via fuerit doctor & sublimis mysteria homines docuerit; ergo illa perfecte cognouit.

Christus non potest dirigi in operationibus humanis per notitiam increatam.

4.

Dubiū proponitur & soluitur.

5.

Resp. affir. Prob. ex Ioan. 3.

Ioan. 12.

Prob. ex Patrib.

6.

Christus viator fuit & cognouit.

H

cognouit.

cognouit. non potuit autem perfecte cognoscere mysterium Trinitatis absque visione beatifica; ergo. minor prob. quia aliis solum cognouisset per fidem, quae est notitia imperfecta in genere notiarum supernaturalium, vel ut summum cognouisset per scientiam infusam modo infra explicando, qui tamen modus non videtur ita consentaneus statui puri viatoris.

Corollarium.

7. Vidit Deum à primo instanti conceptionis.

Imò ex dictis patet Christum à primo instanti conceptionis fuisse praeviditum clarà Dei visione. 1. quia talis visio debebatur animae Christi tanquam moralis proprietatis, nec erat occasio differendi eius collationem. 2. quia decebat illam animam in instanti unionis perfectissime se ad Deum convertere per claram eiusdem visionem & amorem; & decebat statim illis modis et perfectissime coniungi. 3. quia Christus statim à primo instanti conceptionis fuit Filius Dei naturalis etiam secundum naturam humanam, & proinde statim ius habuit ad bona paternam, claram scilicet eius visionem, nec fuit vlla ratio differendi concessionem hereditatis.

ARTICVLVS III.

Verum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam?

3.

Sensus quaest.

Negat Scot.

Affirmat S. Th. & communis alij

Bene prob. ex Isai. 11.

9.

Prob. rationibus. Res supernaturales sunt clarè cognoscibiles extra Verbum in proprio genere.

10.

NOTANDVM quaestionem esse de scientia infusa per se, quae scilicet naturae vires superat, non verò de scientia infusa per accidens, quae licet quantum est ex sua conditione possit per vires naturae acquiri, tamē reipsa à Deo sit infusa, quā ratione Adamo collata fuit scientia naturalis rerum naturalium.

Scientiam per se infusam Christo negant Scotus in 3. dist. 14. q. 3. & quidam alij.

Concedit S. Thom. cuius sententia est omnino verior & communior Theologorum. Prob. à quibusdam ex varijs locis Euangelij, sed ut videtur, minus solidè, cum quae afferuntur commodè possint intelligi de scientia beatifica vel naturali.

Videtur aptè probari posse ex Isai. 11. *Requisces super eum spiritus sapientiae & intellectus &c.* quibus verbis denotatur Christum quā hominem futurum praeviditum notitiā supernaturali, & quidem alia à beata.

Prob. ratione 1. res supernaturales creatae ut gratia & virtutes supernaturales sunt in proprio genere cognoscibiles extra Verbum, & quidem clarè & intuitiua notitiā; ergo dicendum Christum has nosse. atqui non sunt ita cognoscibiles notitiā naturali, sed solum notitiā supernaturali; ergo datur in Christo supernaturalis istarum rerum notitiā, ea autem non est fides, utpote obscura cognitio & per quam res in se non cognoscitur euidenter; non est etiam visio beata, cum haec non terminetur ad res creatas in se immediatè & in proprio genere, sed ad Deum, & ut summum. Illo mediante ad alia, restat ergo ut Christus eas cognouerit scientiā infusā. prima conseq. prob. non debet negari Christo tanta perfectio quae eius statui minimè repugnat.

2. In Christo sunt virtutes, ut q. 7. ostensum est; in quarum exercitio maximè connaturaliter debuit dirigi scientiā infusā; igitur in eo ponenda est huiusmodi scientia. minor prob. in exercitio virtutum non fuit directus fide, ut patet ex dictis q. 7. artic. 3. Non videtur dicendum quod dirigeretur clarà Dei visione, quia exercebat plurima

opera virtutum tanquam viator; ergo erat magis conueniens ut dirigeretur notitiā, quae etiam potest in viatore inueniri, & nullam in suo genere dicit imperfectionem, qualis est scientia infusa.

3. Nisi talis notitia concedatur Christo, is minus perfecte cognosceret res extra Verbum quàm Angelus; quia solum cognosceret notitiā naturali, in qua Angelus superat; non videtur autem conueniens asserere Christum non habuisse perfectionem rerum cognitionem extra Verbum quàm habeat Angelus.

4. Probabile est beatos res supernaturales clarè nosse extra Verbum in proprio genere. igitur id non est Christo negandum.

Porro hanc scientiam etiam habuit ab initio conceptionis, quia ab initio non solum clarè vidit Deum, eumque amauit, sed etiam exercuit actus variarum virtutum supernaturalium; & omnino verius est quod eo instanti etiam clarè cognouerit ipsam gratiam in proprio genere; item visionem suam beatificam & virtutum actus, tum quos exercebat, tum quos exercebant alij; cum id fuerit illi moraliter debitum ratione unionis hypostaticae humanitatis cum Verbo.

De ipso lumine scientiae infusae, dicemus infra.

ARTICVLVS IV.

Verum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam?

AFFIRMAT. quia alioquin intellectus agēs, cuius munus est abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus fuisset in Christo otiosus. Adde quod scientia naturalis sit magna animae perfectio non repugnans altiori perfectioni.

Notandum S. Tho. non tantum velle fuisse in Christo scientiam naturalem quae possit humanā industriā comparari, sed reipsa eandem successu temporis comparasse, quae in re mutauit sententiam quam alibi tenebat, ut ait in corpore, de quo infra commodius q. 12.

Ex his articulis habemus quadruplicem in Christo esse scientiam, diuinam, beatificam, supernaturalem aliam infusam, & naturalem; quarum singula differunt naturā & essentiā; ita ut propter huiusmodi multiplicationem cognitionum non sequatur accidentia solo numero distincta respectu eiusdem obiecti simul poni in eodem subiecto.

QUESTIO X.

De scientia beata anima Christi.

ARTICVLVS I.

Verum anima Christi comprehenderit Verbum seu diuinam essentiam?

NOTANDVM ex S. Tho. 1. parte q. 12. art. 7. responsione ad 1. comprehensionem quantum ad praesens institutum pertinet sumi dupliciter. 1. prout opponitur prosecutioni, estque idem quod adeptio seu tentio rei, quae ratione beati dicuntur comprehen-

Scientia infusa inueniri potest in viatore, & nullam dicit imperfectionem.

Hanc scientiam habuit Christus ab initio Concept.

11.

Resp. aff.

Sensu solutionis D. Tho.

Coroll. Quadruplex in Christo scientia.

1.

Comprehensio dicitur dupliciter.

fores,